

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES**

University of Toronto

*Level Two Medieval Latin Examination*

**8 September 2017**

\*\*\*\*\*  
Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**  
\*\*\*\*\*

1. **Canossa 1077: Emperor Henry swears an oath**

Ego rex Heinricus de murmuratione et dissensione, quam nunc habent contra me archiepiscopi et episcopi, duces, comites ceterique principes regni Teutonicorum et alii, qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum, quem dominus papa Gregorius constituerit, aut iustitiam secundum iudicium eius aut concordiam secundum consilium eius faciam, nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit; quo transacto, ad peragendum idem paratus ero. Item si idem domnus papa Gregorius ultra montes seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte et eorum, quos constringere potero, ab omni læsione vitę et membrorum eius seu captione – tam ipse quam qui in eius conductu vel comitatu fuerint seu qui ab illo mittuntur vel ad eum de quibuscunque terrarum partibus venerint – in eundo et ibi morando seu inde redeundo. Neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit; et si quis ei fecerit, cum bona fide secundum posse meum illum adiuvabo.

## 2. Don't cry for lost love

Quid luges, lirice, quid meres pro meretrice?

Respira, retice neque te dolor urat amice!

Scimus – et est aliquid – quia te Flora reliquit.

Set tu ne cures, possunt tibi dicere plures,

qui simili more, simili periere dolore.

Teque dolor scorti dabit afflictum cito morti,

ni dure sorti respondes pectore forti.

Quod mala sors prebet, sapiens contempnere debet;

res quociens mestas non est mutare potestas,

mesta ferendo bene reddit patientia lene.

Set quin perferimus, quod permutare nequimus?

Consolare lyra luctum, quem parturit ira!

Paulum respire, quia destino dicere mira!

Ergo quiesce parum! Nec erit grave sic nec amarum,

si nunc ignarum mores doceamus earum.

## 3. Thomas More on law and lawyers among the Utopians

Leges habent perquam paucas, sufficiunt enim sic institutis paucissimae. Quin hoc in primis apud alios improbant populos, quod legum interpretumque uolumina non infinita sufficiunt. Ipsi uero censent iniquissimum, ullos homines his obligari legibus, quae aut numerosiores sint quam ut perlegi queant, aut obscuriores quam ut a quouis possint intelligi. Porro causidicos, qui causas tractent callide ac leges uafre disputent, prorsus omnes excludunt. . . . Caeterum apud eos unusquisque est legis peritus. Nam et sunt (ut dixi) paucissimae; et interpretationum praeterea ut quaeque est maxime crassa, ita maxime aequam censent. Nempe cum omnes leges (inquiunt) ea

tantum causa promulgentur, ut ab hiis quisque sui commonefiat officii, subtilior interpretatio paucissimos admonet (pauci enim sunt qui assequantur) cum interim simplicior ac magis obuius legum sensus omnibus in aperto sit. Alioquin quod ad uulgus attinet, cuius et maximus est numerus et maxime eget admonitu, quid referat utrum legem omnino non condas, an conditam in talem interpreteris sententiam, quam nisi magno ingenio et longa disputatione nemo possit eruere?

#### **4. Adam of Bremen has an inspiration**

Cum in numerum gregis vestri, pastor euangelice, nuper a decessore vestro colligerer, sedulo operam dedi, ne proselitus et advena tanti muneris beneficio ingratus existerem. Mox igitur ut oculis atque auribus accepi ecclesiam vestram antiqui honoris privilegio nimis extenuatam multis egere constructorum manibus, cogitabam diu, quo laboris nostri monumento exhaustam viribus matrem potuerim iuvare. Et ecce occurrit mihi plurima interdum legenti vel audienti facta ab antecessoribus vestris, quae tum sui magnitudine, tum ecclesiae huius necessitate videantur digna relatu. Sed quoniam rerum memoria latet et pontificum loci hystoria non est tradita litteris, fortasse dixerit aliquis aut nihil eos dignum memoria fecisse in diebus suis, aut, si fecerant quippiam, scriptorum, qui hoc posteris traderent, diligentia caruisse. Hac ego necessitate persuasus appuli me ad scribendum de Bremensium sive Hammaburgensium serie presulum, non alienum credens meae devotionis officio seu negotio vestrae legationis, si, cum sim filius ecclesiae, sanctissimorum patrum, per quos ecclesia exaltata et christianitas in gentibus dilatata est, gesta revolve.